

Scilla bifolia procul dubio erit missa , licet flores multi ex loco quodam proprio.

Hedysarum Tuum toto coelo ab alpino sibirico meo.
D^{ns} Tidström hoc tempore non versatur Upsaliae , sed petit patriam per 50 millaria remotam.

Pulcherrimas plantas habui siccas a S. le Lew Brasilias.

Hedysarum alpinum sibiricum α , cum quo ab Hallero quondam jungebatur vestrum β , plane diversa planta; inclusum mittitur.

C. L.

(Respondit Jacquinius 19. Sept. 1774, epistolae sine die datae.)

79.

Upsaliae 1774, Octobr. 24.

Viro clarissimo DD. Jacquinio s. Car. Linné.

Scripsi ultimo literas, quas Te habuisse antequam has accipias, spero. Libri rite traditi fuere; pretium solvit Bibliothecarius, sed istum tomum incompletum, nolit solvere antequam completum habeat tomum, et aliter nequit qui publicae Bibliothecae praeest ut ipse concessisti; adeoque petii libri pretium secundum ducatos bellicos, quoniam non reperi Tuam epistolam, in qua pretium proposuisti; iterum proposuisti pretium quod absolute non intelligimus heic loci, scilicet quid aureus cremnitziensis sit, quaeo numera ducatos bellicos, et mox habebis.

Hac aestate asphixia tentatus fui, qua credebam ultimum fatum mihi annunciarci. momento citius sub publicis praelectionibus deficiebant omnes partes externi, ut nec indecere, nec me movere possem, sed in terram ruere vellem; mens tamen et pulsus bene se habebant, absque do-